

officiorum, quotiens civiles vel criminales contra eosdem cognitiones moventur, executorem quidem negotii usque ad finem litis civilis, seu criminalis, unius esse solidi praestatione contentum: et pro insinuandis nostrae serenitatis apibus, vel simplicibus contra obnoxios eorum postulatione deponenda, binos solidos ab his, vel conjugibus eorum praebere: et quotiescunque exemplaria postulantur, hi, quorum interest, accepto solido, quod petitur, praebere non differant. Pro implendis vero monumentis, unde conveniendi tribuitur executoribus facultas, non ultra quam tres solidos quibus competit, impertiri praecipimus: arbitro vero non amplius, quam solidum: et fisci patronis dimidiam solidi partem: notariis vero tertiam usque ad finem (sicut dictum est) causae praestare, super editione quoque chartularum solidi partem dimidiam praebere. Quod si non apud arbitrum, sed in competentibus, iudiciis majoribus cognitio celebretur, inducendi quidem negotii gratia, non nisi quatuor solidos eosdem viros clarissimos erogare: gestorum vero excipiendorum causa duos tantummodo solidos dare: et nullius ultra superscriptas quantitates cuihabet alteri praestandi sumptus exactione vexari: his omnibus locum habentibus, sive ipsi aliis litem ingerant, sive ab aliis pulsantur. — Dat. kalend. septemb. THEODOSIO CONS.

TIT. XXIII.

DE CURIOSIS, ET STATIONARIIS.

1. CONSTANTIVS A. ad Lollianum P. P.

Curiosi, et stationarii, vel quicumque funguntur hoc munere, crimina iudicibus nuncianda meminere, et sibi necessitatem probationis incumbere, nec citra periculum sui, si insonibus eos calumnias nexuisse constiterit: cesset ergo prava consuetudo, per quam carceri aliquos immitterent. — Dat. 11 kal. Aug. Mediol. Acc. 12 kal. septemb. ANTONIONE ET LOLLIANO CONS. 355.

2. Idem, A. et JULIANVS C. ad Taurum P. P.

Agentes in rebus, in curis agendis, et evectioibus publici cursus inspicendis, nostrorum memores praecceptorum, credimus in omnibus velle profutura republica: ideoque solos agentes in rebus in hoc genere iussu obsequium adhibere: et non ab alio penitus officio. Hi vero pervigili diligentia providebunt, ne quis contra evectiois auctoritatem moveat cursum, vel amplius postulet quam concessit evectio. Quisquis igitur aliquid tale perpetrare tentaverit, improbi cepti privetur effectu. Demonstratur etiam iudicibus, vel curiosis evectio, etiamsi quis nobis iubentibus festinare memoret in obsequium necessarium, nec praevalcat contumacia, vel dignitas. Ergo nummum [jam] vetamus exposci pro animalibus in cursu minime constitutis. Quod si forte aliquis existimaverit perpetrandum, ejus quadruplum quod accepit, inferre cogatur. — Dat. 15 kal. Maji Mediol., CONSTANTIO A. 9 et JULIANO CAESARE 2 CONS. 357.

3. Idem, A. ad agentes in rebus.

Per id tempus, quo cursus tuendi sollicitudinem sustinetis, condemnationes praefectorum circa eos solos irrita sunt futurae, qui servaverint honestatem: erga eos vero qui inhoneste, et contra decus seculi, vel honorem militiae versabuntur, non solum condemnatio mansura est, verum etiam gravior poena est statuenda. — P. P. prid. kal. dec. EUSEBIO ET HYPATIO CONS. 359.

4. Imp. ARCAD. et HONOR. AA. Marcello mag. offic.

Agentes in rebus singulos per singulas provincias mittendos esse censimus, quibus inspicendarum evectioem tantum debeat cura mandari, ut nihil prorsus commune, aut cum iudicibus, aut cum provincialibus habeant: nec naves debebunt illicita concussionem vexare: nec libellos, aut attestaciones, vel contestaciones litis gratia suscipere, aut in carcerem quemquam trudere, sed cursui solum vacare. — Dat. kal. Jun. CP., OLYBRIO ET PROBINO CONS. 365.

TIT. XXIV.

DE PALATINIS SACRARUM LARGITIONUM, ET RERUM PRIVATARUM.

1. Imp. CONSTANTIVS et CONSTANS AA. ad Beronitanum vic. Asiae.

Palatini pro capitibus, seu jugis suis tantum pensationem atque ob-

5. Fac. L. 5, supr. de defens. civitat. — Tit. XXIII. — 1. L. 6, D. de custodia et exhib. reor. — 2. L. 1, infr. de cohort. princ. — Tit. XXIV. — 1. Adde L. 6, L. 10, L. 13, L. 14, infr. h. t.; L. 1, L. 2, L. 3, infr. de privi-

sequia recognoscent, extraordinariis¹, et sordidis muneribus, et susceptionibus, et temonariis oneribus liberati. — Dat. non. Maji Constantino, CONSTANTIO 4 et CONSTATE 5 AA. CONS. 342.

2. Imp. VALENS et VALENT. et GRAT. AAA. Titiano C. S. L.

Nullus thesaurus, vel officialis comitis thesaurorum semel deprehensus eversor², quocumque pacto, aut repetat militiam suam, aut aliam sibi requirat per ambitum dignitatem, vel sese transferat ad aliam quamcunque militiam. — Dat. 8 kal. februar. Antiochie, GRATIANO A. 4 et MEROBAUDE CONS. 377.

3. Imp. GRAT. et THEOD. AA. Pancratio com. R. P.

Prisco jam nunc ordine revocato, de palatino potius officio ad regendum principatum officii comitis domorum per Cappadociam mittantur, quales comes etiam domorum, si inhonestum aliquid gesserit, vereatur. Idoneos itaque singulis annis e numero mittendariorum³ ad hoc eligere debebis, et mittere. — Dat. prid. non. Jul. Scopis, AUSONIO et OLYBRIO CONS. 379.

4. Idem, AA. Hesperio P. P.

Nihil omnino ullis iudicibus cum palatinis nostrae clementiae, quicumque a comitibus diriguntur, sit commune atque conjunctum: sed excepta reverentia, quae non solum ab inferioribus, sed etiam a majoribus, et in provincia degentibus rectoribus provinciarum debetur, atque defertur, suis quisque necessitatibus obsecundet. — Dat. 8 id. decembr. Sirmii, AUSONIO et OLYBRIO CONS. 379.

5. Idem, AA. Nebridio P. P.

Quidam post impletum ordinem militiae palatinae quam gesserant, honoremque transactum, ad exceptorum scriinia transire nituntur. Hac igitur lege sancimus, ut nulli prorsus dehinc ista audendi relinquatur occasio: sed unusquisque ejus scriinii, quem primum militando elegit, ordinem persequatur⁴: nec in alterius loco finem militiae requirat, qui jam proprii ordinis transegerit principatum. — Dat. id. octob. CP., MEROBAUDE 2 et SATURNINO CONS. 383.

6. Idem, AA. ad Probum P. P.

Ab officiis palatinorum excellentia tua sciat ita penitus esse recedendum, ut neque ipsa postmodum licitum sibi credat isdem⁵ aliquid injungere: et praeterea provinciarum rectores prohibeat quicumque ulterius tale conari. — Dat. 7 kal. novembr. Mediol., post cons. MEROBAUDIS 2 et SATURNINI.

7. Idem, AA. Trifolio com. S. L.

Scriiniis omnibus largitionum comitatensium infrascriptas decernimus dignitates: ut his contenti, ambiendi⁶ sibi aditum interclusum esse cognoscent, etiamsi speciale beneficium emendicato suffragio quisquam voluerit impetrare. Annonas etiam iuxta definitum dignitatum modum volumus praestari: nec amplius quicquam praesumi. — § 1. Brevis, quas dignitates per singula scriinia officium sacrarum largitionum habere statuimus, hic est. Scriinii exceptorum perfectissimus ordinis secundi numero unus, id est, primicerius exceptorum unus: ducentarii duo, unus tertioecius, et quartocorius: centenarius unus, unus, primicerius instrumentorum: epistolares num. duo: formae primae num. triginta sex: formae II num. IV, formae tertiae num. III. Scriinii numerorum perfectiss. ordinis tertii num. unus: ducentarius num. unus: centenarii num. duo: epistolares num. duo: formae primae num. tres: formae secundae num. unus [formae tertiae num. duo:] Sacri scriinii tabellariorum perfectiss. ordinis tertii num. unus: ducentarius num. I, centenarius num. I, epistolares num. I, formae primae num. III, formae secundae num. V. Scriinii canonum perfectiss. ordinis tertii num. I, ducentarius num. I, centenarius num. I, epistolares num. I, formae primae num. IV, formae secundae num. IV. Scriinii mittendariorum⁷ ducentarius num. I, centenarii num. II, epistolares num. VIII, formae primae num. VII, formae secundae num. triginta tres. Scriinii aureae massae perfectiss. ordinis tertii num. unus, id est, primicerius sacrae massae, num. I, item secundocorius num. I, ducentarii num. duo, id est, tertioecius, et quartocorius: centenarii num. VI, epistolares num. IV. Aurifices specierum perfectiss. num. I, ducentarii num. IV, centenarii num. VI, epistolares num. VIII, formae primae num. XVII, formae secundae num. IV. Aurifices solidorum ducentarii num. I, centenarii num. VIII, epistolares num. VI, formae primae num. IX, formae secundae num. XXX. Sculptores, et caeteri aurifices centenarii num. I, epistolares num. V,

leg. cor. qui in sacro palatio militant — 2. Fac. L. 8, supr. de jure fisci; L. 40, supr. de decurion; L. 12, supr. de suscept. — 3. Adde L. 7, L. 8, infr. h. t.; L. 1, § 8, supr. de offic. praef. praef. Afric.; L. 1, supr. de canone largit. tit. — 4. L. 7, in pr. infr. h. t. — 5. L. 1, supr. cod. — 6. L. 8, in fin. supr. cod. — 7. L. 1, § 8, supr. de offic. praef. praef. Afric.

formae primae num. VI, formae secundae num. XVII. Scriinii auri ad responsum perfectiss. ordinis primi num. I, perfectiss. ordinis secundi num. II, ducentarii num. I, centenarii num. II, epistolares num. III, formae primae num. IV, formae secundae num. II, formae tertiae num. I. Scriinii a miliariensibus⁸ perfectiss. ordo primi num. I, ducentarius num. I, formae primae num. I, formae secundae num. II, formae tertiae num. III. Scriinii vestis perfectiss. ordinis IV, num. I, perfectiss. ord. II, num. I, ducentarii num. I, centenarii num. I, epistolares num. II, formae primae num. VII, formae secundae num. X, formae tertiae num. IV. Officialium sacrarum vestium ducentarii num. III, centenarii num. III, epistolares num. II, formae primae num. XII, formae secundae num. X, formae tertiae num. VIII. Deputati sacrae vestis perfectiss. secundi ordinis num. II, ducentarii num. II, centenarii num. II, epistolares num. II, formae primae num. III. Scriinii ab argento perfectiss. ordinis secundi num. I, epist. num. I, formae primae num. VI, formae secundae num. III, formae tertiae num. I. Scriinii a pecuniis perfectiss. ord. secundi num. I, formae primae num. I, formae secundae num. II, formae tertiae num. V. Argentarii comitatensium ducentarii num. I, centenarii num. II, epistolares num. III, formae primae num. VIII, formae secundae num. XI, Barbaricarii centenarii num. II, epistolares num. V, formae primae num. VIII, formae secundae num. I. — Dat. 4 Jun. Heracliae, RICHOMERE ET CLEARCHO CONS. 384.

8. Idem, AA. Trifolio C. S. L.

Placuit juste omnibus mittendaris⁹, et palatinis officiis profutura suggestio, quam insinuasti, ut ex isdem annis singulis ex ducentariis terni, ex centenariis habito provisionis intuitu, cingulo liberentur. — Dat. 4 id. Mart. CP., ARCADIO A. 1 et BAUTONE V. C. CONS. 385.

9. Imp. THEOD. et ARCAD. AA. Nestorio com. R. P.

Non aliter quilibet officio sacrarum largitionum, vel privatarum rerum cingulum militiae sibi sumendum existimet, nisi nostrae mansuetudinis adnotationem meruerit. — Dat. prid. Aug. Ancyrae, STILICHOSE 2 et ANTHEMIO CONS. 405.

10. Imp. HONOR. et THEOD. AA. Joanni P. P.

Palatino, qui sacrarum remunerationum rationem tractantes inculantur, ad calcem terminumque militiae pervenientes, necnon etiam ad iutores, et primicerios diversorum officiorum praecipimus¹⁰ habere privilegia, quae nuper agentium in rebus scholae nostra sunt mansuetudine contributa: scilicet, ut a tyronum praebitione memorati reddantur exortes, caeteraque onera non agnoscat. — Dat. 7 id. Jun. Ravennae, post cons. HONORII 8 et THEODOSII 5 AA. 411.

11. Idem, AA. Anysio C. S. L. et Tauro C. R. P.

Ad similitudinem sanctionis¹¹, quam de proximi sacrorum promulgavimus scriiniorum, etiam in officio sacrarum largitionum, atque privatarum rerum pro biennio annuum sub perpetua observatione praecipimus custodiri: ita ut et privilegia, quae hujusmodi officiis, vel primiceriis sacris legibus deferuntur, integra, illibataque serventur. — Dat. 3 kal. Jul. CP., THEOD. A. 7 et PALLADIO CONS. 416.

12. Imp. THEODOSIVS A.

Viros devotos palatinos non oportet in hac regia urbe apud virum illustrem praefectum urbi litigare compelli, nisi de aedificatione¹² domorum, et servitibus, et annonis orta videatur causa: in aliis vero causis, tam pecuniariis, quam criminalibus apud viros illustres tantummodo comites suos respondere: rectoribus autem provinciarum intra administrationis suae fines inter praesentes palatinos, nec causis publicis occupatos cognoscere, tam pro civili, quam pro criminali causa permittimus: sic tamen, ut non aliter criminalis sententia adversus eos proferatur, nisi ex suggestione provincialis iudicii vir illustris comes, sub quo militat, certioratus hoc ei permiserit.

13. Idem, A. Eudoxio C. S. L.

Inter alias praerogativas, quas antea meruerat scholae¹³ societatis sacrarum largitionum, primicerius, et tres primicerii¹⁴ scriiniorum tribuni praetoriani, militari dignitate fruantur: nulla eis ex cujuslibet iudicii praerogatione injungenda publica, vel privata necessitate.

14. Idem, A. Florentio P. P.

Jubemus viros devotos palatinos rei nostri nuntius privatae, eisdem privilegiis decorari, quibus etiam palatini, qui in sacris largitionibus deferuntur. Cum enim par, similisque militia sit, justum et competens

8. Fac. N. 105, c. 2, § 3. — 9. L. 5, supr. h. t. — 10. L. 1, supr. cod. — 11. L. 6, supr. de proxim. sac. scriin. — 12. L. 12, supr. d. t. — 13. L. 1, supr. h. t. — 14. L. 7, supr. cod. — Tit. XXV. — 1. L. 5, D. de offic. praef. — Tit. XXVI. — 1. Adde L. 5, supr. de palatin. — 2. Adde L. 7, supr. de proxim. sac. scriin. —

videatur iisdem utrumque officium privilegii gloriari. Primicerios itaque officii, tresque primates scriiniorum rerum privatarum, finito tempore militiae, inter tribunos militares praetorianos, salvis iisdem praestitis privilegii sacris constitutionibus nostram clementiam adorare decernimus, ita tamen, ut [nullam injunctionem,] nullam sollicitudinem privati, vel publici negotii quolibet iudicio praerogatione sustinere possint: sed excepta omni necessitate omnique fatigatione, indeptae dignitatis honore potiantur.

TIT. XXV.

DE STRATORIBUS.

1. Imp. VALENT. et VALENS AA. ad Zosimum praesidem novae Epiri.

Per omnes provincias edictum generale misimus, ut stratoribus unus tantum solidus probae nomine posceretur, et in offerendis equis certam formam statutam, et aetatem provinciales nostri custodiendam esse cognoscat: quos etiam fisco certo modo solidorum obnoxios fecimus, si quod stratores petere interdictum est, illi dare stratoribus non timent, officium quoque gravitatis tuae centum argenti libris multabitur, si sciens praedictam rem gestam fuisse, non illico eam severitati iudicariae prodiderit. — Dat. 13 kal. Jul. Appolloniae, VALENTINIANO ET VALENTE AA. CONS. 365.

TIT. XXVI.

DE CASTRENSIANIS ET MINISTERIANIS.

1. Imp. HONOR. et THEOD. AA. Narsi V. spectab. comiti et castrensi S. P.

In officio spectabilitatis tuae secundum formam divalium responsorum post completum tempus praefinitum, id est biennium¹ prioribus decedentibus² insequentes ad locum pro merito laborum stipendiorumque succedant: nec ulla licentia tribuatur his qui impletum deposuerint officium denuo ad eandem militiam, vel sollicitudinem remeandi. — Dat. 6 februar. CP., THEODOSIO A. 7 qui fuerit nuntius, 416.

2. Idem, AA. Scholastico V. C. comiti et castrensi S. P.

Si quis primae, vel secundae, vel tertiae formae specialiter inter status gradum caelestium valuerit impetrare: supernumerarius⁴ ultimus formae tertiae in matriculis habeatur. — Datum prid. id. Januar. CP., HONORIO 15 et THEODOSIO 10 AA. CONS. 422.

3. Imp. LEO et ANTH. AA. Joan. comiti et magist. offic.

Hi, qui in schola vestis sacrae militant, vel matres eorum, vel uxores criminales, vel civilem litem contra se [commovendam,] in nullo alio nisi in sublimitatis tuae suscipiant examine.

4. Imp. LEO et ZEXO Martiano com. et magist. offic.

Ante omnia nullius⁵ penitus alterius iudicis minoris, vel majoris sacro ministerio nostro deputatos (quorum officia sigillatim brevis subter annexus continet) nisi a tuae duntaxat magnitudinis sententia conveniri, ut in nullo penitus alterius iudicis foro pulsantur, nisi in tuae tantummodo amplitudinis examine praebent aliquando responsum. Sed ne in hoc ipso iudicio enormibus molestentur dispendiis, vel ex nudis conveniantur facile iudicis cujuscunque mandatis: ipsis quoque sportulis et fidejussoribus modum constituimus observandum: ante omnia decernentes, ne quando sine⁶ scriptura vel interpellatione deposita, ac sententia prorogata tuae magnitudinis, eademque non edita, conveniri possint: conventos vero, non alium fidejussorem, nisi actuarium, vel unum ex primatibus suae scholae executoribus pro responsione suae personae sine scripto praestare: sive per seipsum, sive per procuratorem datum in iudicio responderi sunt: sive⁷ in causis civilibus appetantur, sive in criminalibus accuserentur: nec ultra conventionis nomine sportularum, quam unum aureum executoribus usque ad finem litis praestent, quemcunque contigerit conveniri. Inducendorum sane nomine, et cognitionum exercendarum, stanteque personae gratia, ex simplici postulatione contra eos habita, sive appellatione subsecuta, vel alio quolibet modo in iudicio deponatur, tribus tantummodo solidis usque ad terminum negotii eos, qui accepturi sunt, praecipimus semper esse contentos: in cognitionalibus vero gestis edendis, tantummodo praestari solidos. — § 1. Haec autem privilegia

3. L. 6, supr. de aduor. — 4. Adde L. 7, supr. de palatin. — 5. Adde L. 5, supr. ubi servatores. — 6. L. ult. vers. hoc etiam, supr. de princ. agentium in rebus. — 7. L. ult. supr. de fructib. et lit. expens. N. 112.

non in eorum tantummodo, sed⁸ in matrum quoque et uxorum personis valere, et ad integrum permanere: filiis quoque et maritis ejusdem fidejussionis nomine, si necessitas interpellationis exegerit, tradi: nec alios vades exigi: ipsosque dum militant, et post emensam militiam, cum his, qui ex tempore prioris præstitæ sibi pragmaticæ sanctionis ejusdem militiæ stipendia implere noscuntur, omnibus privilegiis perfrui (cunctis nihilominus capitulis, sacris affatibus divæ recordationis Martiani, quos se meruisse adserunt, valitoris: excepto hoc quod in diversis judiciis tunc respondere præcepti sunt) hac sanctione decernimus. — § 2. Advocato quoque fisci, exceptoribus etiam, qui apud arbitros hoc utuntur officio, ab exordio incipiendo, usque ad terminum finemque negotii tertiam duntaxat solidi partem præbituros. In hujusmodi autem arbitratorum gestis edendis non ultra præstare, quam dimidiam solidi partem: et cum per provincias constitutis fidejussoribus conventus caruerit, adjutoria⁹ tantummodo cautioni committi: nec ullo tempore, nisi ex tunc duntaxat magnitudinis sententia conveniri: exceptis tributariis, et munerum functionibus, et criminibus, quæ in locis inquiri, flagitari, et vindicari generalia legum præcepta constituunt, presentis sanctione decernimus: viro clarissimo adjutore sublimitatis tuæ in speculis constituto, ne quid ex his, quæ statuimus, aliqua subreptione violetur.

TIT. XXVII.

DE DECANIS.

1. Imp. Honor. et Theod. AA. Helioni com. et mag. offic.

Quatuor, qui ex corpore decanorum ad primum militiæ gradum pervenerint, bienni spatio primiceriatus gerant officium, neque ulterius cuiquam liceat in hoc immorari, ut omni gratia, et ambitione cessante, post duorum annorum curricula succedant prioribus subsequentes. — Dat. prid. non. novemb. CP., Theodosio A. 7 et Palladio V. C. Conss. 446.

2. Imp. Theod. et Valent. AA. Nomo mag. offic.

Nostræ pietatis famulationibus¹ adherentes decanos non oportet pro desiderio pulsantium ad alia pertrahi judicia: sed viri illustris tantum magistri officiorum observare examen. Hoc namque modo, neque mansuetudinis nostræ obsequia decipiuntur: et agentibus adversus eos iure adhibetur responsum: ad exemplum itaque devotissimorum scholarium nulli licere memoratos ad aliud iudicium trahere, et pulsatos priorum fidei scholæ permitti præcipimus.

TIT. XXVIII.

DE MENSORIBUS.

1. Imp. Honor. et Theod. AA. Emiliano mag. offic.

Primicerius mensorum biennio expleto agentis in rebus militis militiam sortiatur. — Dat. 10 kalend. Aug. Ancyra, Stilichone et Antheio Conss. 405.

TIT. XXIX.

DE PRIVILEGIIS EORUM, QUI IN SACRO PALATIO MILITANT.

1. Imp. Constantinus A. Palatinis bene meritis S.

A¹ palatinis, tam his, qui obsequiis nostris inculcata officia præbuerunt, quam illis, qui in scriniis² nostris, id est, memoriae, epistolarum, libellorumque versati sunt: procul universas calamitas, sive nominatioes jubemus esse submotas: idque beneficium ad filios eorum, atque nepotes ipso ordine sanguinis pervenire, atque immunes eos a cunctis muneribus sordidis, et personalibus permanere, cum universis mobilibus, et mancipiis urbanis: nec injurias eis ab aliquibus inferri: ita ut, qui hoc contempserit, indiscreta dignitate poenas debitas exsolvat. — Dat. 4 kal. novemb. Treveris, Volusiano et Anniano Conss. 314.

2. Idem, A. ad Rufinum P. P.

De cubiculis nostris vacatione donatos, vel diversis obsequiis³ pala-

8. N. 105, L. ult. infr. de priv. scholar. — 9. L. 12, in pr. supr. de prox. sacer. scrip. Tit. XXVII. — 1. Fac. L. 1, infr. de divers. offic. Tit. XXVIII. — 4. L. 12, § 2, D. de re militari. Tit. XXIX. — 1. L. 1, supr. de palatinis sacer. largit. — 2. L. 4, supr. prox. de sacer. scrip.

tinis, memoriales etiam⁴, qui in scriniis memoriae, epistolarum, libellorum sacrarumque dispositionum referuntur: necnon, et si qui in utroque officio palatinorum comitatensium, singularumve urbium, et officio admissionum, et castrensi sacri palatii militant: privilegia volumus habere, ut nec ipsi, nec filii, nec nepotes eorum ad honores, vel munera municipalia devocentur: quibus omnibus condonamus, ne exactorum, vel turmariorum (quos capitularios vocant) curam subeant, vel obsequium temoniariorum, vel pentaprotiæ, aut etiam tyronis præsentationem, agnoscant. Nam beneficiis nostris ita digni sunt, ut etiam censuralibus, vel personalibus, vel corporalibus muneribus liberentur, et habeant castrense peculium, sive adhuc palatium observent, sive optata quiete donati sint. Quibus omnibus privilegiis conjungimus agentes in rebus, licet militariibus videantur esse subnixi. — Dat. 5 kal. Maji Sirmii, Constantino A. 5 et Licinio C. Conss. 319.

3. Imp. Gratian., Valent. et Theod. AAA. Eutropio P. P.

Ex⁵ aula nostra discedentes viri, ab omnibus injunctis habeantur immunes: numerariorumque fastus, vel rapaces quaestus, tanquam experientes, et idonei non patiantur. — Dat. 3 non. februar. CP., Eucherio et Syagrio VV. CC. Conss. 384.

4. Idem, Valent., Theod. et Arcad. AAA. Piniano P. U.

Omnes qui in palatio militando, diversis actibus paruerint, volumus [in] tantum ejus dignitatis, cujus meruerint missionem, obtinere insignia, ut his omnibus præferantur in ordine, atque concessu, qui posteriori tempore regendas provincias, dignitatesque susceperint palatinas. Si quis autem temeraria⁶ usurpatione statuta violare tentaverit, sacrilegi poenam sustineat. — Dat. prid. non. Jul. Mediol. Acc. 4 kal. septembr. Honorio NB. P. et Evodio Conss. 386.

TIT. XXX.

DE PRIVILEGIIS SCHOLARUM.

1. Imp. Theod., Arcad. et Valent. AAA. Pleitio com. et mag. offic.

Viris¹ spectabilibus comitibus scholarum, verberandi degradandive senatores, ac ducenarios, licentiam denegamus: ea namque, quæ tali commotione digna sunt, ad tuæ sublimitatis volumus referri notitiam. Insuper etiam domesticos eorum, non senatores, vel ducenarios, centenariosve fieri decernimus: pena v² librarum auri plectendo, quisquis hanc divinam jussionem excesserit: scrinio vero Barbarorum³, si tale quid, vel attentari passum fuerit, vel attentatum contra leges non suggesserit, decem librarum auri condemnatione plectendo. Illud etiam observari, non sine ratione convenit, ne is, cui domestici officium per militiæ gradum, vel quinquenni tempus interdicti censuimus, familiaritate comitis simulata, rem prohibitam alio nomine valeat usurpare. — Dat. 16 kal. april. CP., Cyro Conss. 444.

2. Imp. Leo et Zeno AA. Eusebio mag. offic.

Hac lege decernimus, ut qui in singulis scholis militant, quique post emensa stipendiorum curricula ad primiceriorum gradum perveniunt, et adorata nostræ divinitatis purpura, virorum clarissimorum comitum meruerint dignitatem: tam cingulo, quam privilegiis omnibus, sibi competentibus perfruuntur: ac deinceps usque ad finem vitæ foro tuæ celsitudinis tantummodo subjaceant: nec ex alterius cujuslibet sententia civile subire litigium compellantur. In criminalibus sane controversiis, et in publicis tributis ita etiam adversus tales viros provincias moderantium congruam jurisdictionem volumus observari, ne sub prætextu concessi privilegii, vel flagitiorum crescat auctoritas, vel publica vacillet utilitas.

3. Imp. Zeno A. mag. offic.

Quoties super causa civili, vel etiam criminali, ex sententia videlicet iudicii tui culminis scholares, vel eorum conjuges (sive adhuc videlicet earum mariti, sive post mortem eorum in viduitate constitutæ sunt) matres eorum in viduitate permanentes, aut liberi, qui non specialiter alterius iudicis jurisdictioni subjectam conditionem sortiti sunt, et servi ad eos pertinentes conveniuntur: minime eos casive extranei fidejussoris exactione vexari: sed pro consuetudine vetustissima, et jugiter observata, numerarium suæ scholæ fidejussorem præbere jubemus: hoc videlicet

— 3. d. L. 1. — 4. d. L. 4. — 5. d. L. 1. — 6. L. 1, supr. ut dignitat. ordo servetur. Tit. XXX. — 1. Coniunge cum L. 3, supr. de offic. mag. off. — 2. L. 7, supr. de palat. sacr. largit.

observando, ut in criminalibus causis quinque alios primates ex triginta viris a primicerio usque ad triginta retro numerandis, una cum numerario, volente scilicet et non recusante, præbeant fidejussores: aut recusantibus quinque (sicut dictum est) viris extraneis, in criminibus præbeatur: ita ut executoribus non amplius ab his quam unus solidus, sive per se, sive per procuratorem respondere maluerint, præbeatur. — § 1. In subeundis autem cognitionalibus certaminibus quotiens causa fuerit arbitrio delegata: pro contestatione litis unum solidum, et pro definitione ab arbitrio recitanda alterum unum, et nihil amplius dari decernimus. — § 2. Quod si causa in iudicio tui culminis ab ipsa contestatione litis, vel relatione iudicis, aut appellatione interposita ventilatur: pro inducenda cognitione non amplius quam tres solidos, et chartarum, vel recitandorum in cognitionibus instrumentorum, nomine editionis, quinque gestorum, duos tantummodo solidos dabunt. — § 3. Quotiens sane apud viros clarissimos provinciarum moderatores, ex delegatione scilicet sententiæ tuæ magnitudinis contra viros fortissimos scholares, vel eorum conjuges, [vel] liberos, vel servos cognitio celebretur: non amplius quam dimidiam partem consuetorum sumptuum præberi decernimus: hoc etiam adijciendo, ut qui acceptis comitatibus ad provincias profecti fuerint, usque ad quinque mensium spatium, intra quod ipis erit remeandi licentia, nullam penitus actionem super civili videlicet negotio (exceptis criminibus et tributariis functionibus) sustineant. Ne tamen ibi quoque, post quintum, scilicet comeatibus mensem, ex sententia iudicii tuæ magnitudinis conventi, in exigendis fidejussoribus aliquid sentiant detrimentum: adjutoria² eos cautioni jubemus committi. — § 4. Quotiens autem ex verbis, et sine ulla scriptis prolata sententia, idem fortissimi scholares, vel⁴ eorum matres seu conjuges (ut dictum est) aut liberi, aut servi moneantur: nihil [pro] ipsa executione sportularum nomine penitus eos, vel eorum matres, seu conjuges, aut liberos (secundum superius datam distinctionem) vel servos præbere decernimus. Sed si talis sit negotii vilitas, ut⁵ etiam sine scriptis, consentientibus videlicet partibus, super eo possit cognosci: expectato sine scriptis (sicut dictum est) habendæ cognitionis eventu, si deteriorem calculum reportaverint, sportularum nomine unum tantummodo solidum executori præstabit. Si vero causæ qualitas habendam in scriptis cognitionem flagitaverit, in hoc necesse est casu interlocutione in scriptis proferenda, ea quæ superius de quantitate sportularum [decidendarumque] cognitionum disposita sunt, observari.

TIT. XXXI.

DE CASTRENSI OMNIUM PALATINORUM PECULIO.

1. Imp. Constantinus A. ad Severum P. U.

Omnes palatinos, quos edicti nostri jamdudum certa privilegia superfundunt, rem, si quam, dum in palatio nostro morantur, vel parsimonia propria quaesierint, vel donis nostris fuerint consecuti: ut castrense peculium habere præcipimus. Quid enim tam ex castris est, quam quod nobis concessis, ac prope sub conspectibus nostris acquirunt? Sed nec alieni sunt a pulvere, et labore castrorum, qui signa nostra comitantur, qui præsto sunt semper actibus: quos intentos, et eruditos studiis, itinerum prolixitas, et expeditionum difficultas exercet. Ideoque palatini nostri, qui privilegiis edicti uti potuerunt, peculia sua præcipua retineant, quæ dum in palatio nostro constituti sunt, aut labore (ut dictum est) proprio, aut donatione nostra quaesierint. — P. P. 10 kalend. Jun. Constantino A. 6 et Constantio C. 320.

TIT. XXXII.

DE EQUESTRI DIGNITATE.

1. Imp. Valentinianus A. ad Mamertinum P. P.

Equites romanos secundum gradum post clarissimatus dignitatem obtinere jubemus. — Dat. prid. kal. novembr. Philippopoli, divo Jovianiano et Valeriano Conss. 364.

3. L. 12, supr. de prox. sacer. scrip. — 4. Fac. L. 4, § 1, supr. de castrensi. — 5. Auth. offic. supr. de litis contest. Tit. XXXIV. — 1. L. 5, D. ex quibus causis majores; L. 4, § 2, D. de re militari. —

TIT. XXXIII.

DE PERFECTISSIMATUS DIGNITATE.

1. Imp. Justinianus A. ad Paternum Valerianum.

Codicillis perfectissimatus fruuntur, qui impetraverunt, si abhorreant a conditione servili, vel fisco, aut curia obnoxii non sint, vel si pistores non fuerint, vel non in aliquo negotio constiterint, nec sibi honorem venali suffragio emerint, nec rem alicujus administraverint.

TIT. XXXIV.

QUI MILITARE POSSUNT, VEL NON POSSUNT: ET DE SERVIS AD MILITIAM, VEL DIGNITATEM ADSPIRANTIBUS: ET UT NEMO DUPLICI MILITIA, VEL DIGNITATE, ET MILITIA [SIMUL] UTATUR.

1. Imp. Severus et Antoninus AA. Antonia.

Si militiæ nomen dare vultis, offerte vos his, qui probandi jus habent. — § 1. Non autem ignoratis eos, qui litis¹ causa militiam appetierint, postulantibus adversariis solvi sacramento solere.

2. Imp. Dioclet. et Maxim. AA.

Non tantum decurionum filiis, sed omnibus in fraudem civilium munerum nomina armatæ militiæ dantibus, fraudem prolesse displicuit.

3. Imp. Arcad. et Honor. AA. mag. utriusque militiæ.

Cura pervigili observare debet sublimitas tua, ne coloni, vel salutuenses, aut ultro se offerentes ad militiam suscipiantur armatam², aut cogantur inviti.

4. Imp. Leo A. Dioscoro.

Omnes omnino euralis, vel cohortalis conditionis constituti nullam armatam militiam in posterum arripiant.

5. Imp. Justinianus A. mag. offic.

His quidem, quibus indultum hactenus demonstratur, quo binis³, aut ternis, pluribusque mercantur cingulis, non conjunctis ex prisca consuetudine, sed absectis, atque discrepantibus detur electio, quem retinendum sibi potius censeant, quem deserendum cognoscant: ut in eo, quod optaverint, firmiter maneant: eo, quod despexerint, sine dubitatione repellantur. In posterum vero nemini prorsus facultas pateat eodem tempore plus quam unius ordinis nomen affectare: interdicendis in commune cunctis (ut dictum est) binis pluribusque militiis, nec dignitatem conjugere cuilibet alii cingulo concedendis, ut et qui supplicandum de re vetita nobis existimaverint, pena decem librarum auri pro temeritate quamvis infructuosa plectantur: et qui susceperint jussionem augustam per surreptionem elicitam (quod nonnunquam contingit) decem librarum auri multa feriuntur, scriniis etiam, necnon officiis, quorum hoc interest, si non restiterint, et hanc pragmaticam legem abjecerint, decem librarum auri [dispendio] puniendis. Si quid autem contra hoc perpetretur, sciant omnes, quod extra concessum admissum est, aut actum fuerit, vel notis conscriptum publicis, simile habeatur, ac si nec impetratum, nec pronunciatum omnino, nec insertum esset ullis matriculis: scituris etiam omnibus, qui merentes in ordinibus armatis, sive civilibus administrandas provincias, seu gerendos quoslibet numeros, vel jam sunt, seu de cætero fuerint jussione nostra sortiti: et ut servetur eis gradus, augusta promeriti sanctione parem indulgentiam sibi licentiam, postquam deposuerint sollicitudinem, aut in priori cingulo protinus persistendi, nullo vindicando titulo dignitatis, quam sollicitudo media præstiterit: aut retinendi splendorem, quem acquisierint administrationis obtentu: verum priore cingulo desistendi. Monente tamen innata nobis clementia, liberum esse cunctis perspeximus, si militiam, qua decendendum est, inter eas habeatur, quas volentibus⁴ licet distrabere: et in alios eam conferendi, et pretia consequendi: prout in iisdem agminibus consueverit hactenus: excipiendis videlicet, nec deducendis in hanc perpetuo conservandam legem pragmaticam his, qui binas militias simul compositas, et sociali nexas consortio fuerint adsecuti: ut in viris devotissimis scholaribus, atque candidatis fieri moris est: necnon in viris devotis laterculensibus, et pragmaticariis, vel a secretis contingit: quos memorialium, aut etiam

2. Adde L. 19, supr. de agricol. et censit. — 3. Adde L. 10, supr. de prox. sacer. scrip.; L. 1, vers. illi quoque, supr. de præposit. agent. in rebus; L. 10, D. de muner. — 4. Fac. L. 30, in fin. supr. de inoffic. testam.; L. 6, § 3, supr. de advocat. divers. iudicium; N. 55, c. 5

agentium in rebus adornat cingulum, et si qui simili stipendiorum jun-
guntur copala.

6. Imp. JUSTINIANUS A. Menna.

Super servis⁵, qui postea ad quandam militiam aspirare tentaverint,
vel scientibus, vel ignorantibus dominis, precipimus, siquidem ignoran-
tibus his eam meruerint, licere dominis adire competentem judicem, et
suam ignorantiam (eo⁶ quod contrarium minime probatur) ostendere,
eoque modo spoliatis eos militia in suum dominium trahere. Sin vero
scientibus⁷ his servi militarint, cadere quidem eos, non tantum dominio
eorum, sed etiam omni patronatus jure: illos vero ingenuos effectos,
siquidem utiles ad militiam eis datam visi fuerint, in ea durare: sin
vero minime idonei sint, ea privari. Super illis autem servis, qui jam
militaverunt, et adhuc in eadem militia perseverant, licentiam damus
dominis intra triginta dierum spatium ab eo tempore connumerandorum,
quo praesens sanctio divulgata fuerit, vel nostram adire clementiam, vel
competentes judices, et suam ignorantiam commendare, eosque in suum
dominium recipere. Quo tempore transacto, simili modo, tam domino,
quam omni patronatus jure cadere eos necesse est.

7. Idem, A. Joanni P. P.

Si⁸ qui servum suum dignitatem habere, quemadmodum militiam,
fuerit passus: spoliatur, et dominio servi, et jure, quod pertinet ad
patronos. Cui enim ferendum est, homines a nostra manu donationes
accipientes, adhuc inter servos haberi, et forte cum suis dominis nos-
tram purpuram adorantes? In his itaque casibus, in quibus non milia,
sed dignitas, volentibus dominis, servis acquiritur, eadem jura ser-
ventur, quae antea posita sunt: ne videatur nostra sanctio aliquid habere
imperfectum. Sciant autem domini ad exemplum praeterita nostrae con-
stitutionis, qua de hujusmodi servis loquitur, quod nisi hoc intra tri-
ginta dies, ex quo eis hoc fuerit notum, manifestaverint, et competen-
tem judicem adierint, et spoliare eos dignitatis curaverint: dominium
eorum, et jus patronatus amittant: nobis deliberantibus, postquam do-
minio servi fuerint liberati, et inter ingenuos connumerati, si oporteat
eos habere dignitatem, vel ea quasi indignos spoliari.

8. Constitutio desideratur. Ejus sententia ex lib. 57 Basil. haec est
doctiss. Cujacio referente.

Haec constitutio graeca confirmat primam constitutionem hujus tit. qua
cavetur, ne quis eodem tempore duas militias habeat, adiciens, ne quis
aliam militiam habeat, et praeterea tribunus notarius adnumeretur, et
exigit, ut apud acta quisque deponat, utrum malit dignitatem, an mil-
itiam. Et in eam rem statuit tempus trium mensium intra quos ex quo
praesens constitutio promulgata fuerit, quisque in urbe comitem privata-
rum, in provinciis praesides, et suam voluntatem exponat. Quod tempore
clapso, praecipit constitutio, ut si plures habeat militias, unam tantum
retineat: si militiam et epistolas tribunorum notariarum, tribunos tan-
tum maneat: si militiam et comitis dignitatem, militiam amittat, digni-
tatem comitis primi ordinis retineat, nulla pragmatica forma ex contra-
rio locum obtinente: quod si quis militiam habens fiat praeses provinciae,
et ut si gradus servetur a principe promeritus sit, jubet constitutio tunc
gradum ei militiae servari, nec uti eum dignitate ex provinciae admini-
stratione conquisita. Quod si quidam utramque retinere studeant, et forte
duplici militia utantur, utramque amittunt. Definit et in eosdem poenam
viginti librarum, etiam si sacram formam huic constitutioni contrariam
obtinuerint, atque etiam in praesides, qui eam susceperint.

TIT. XXXV.

NEGOTIATORES¹ NE MILITENT.

1. Imp. JUSTINIANUS A. Menna P. P.

Eos, qui vel in hac alma urbe, vel in provinciis cuidam² ergasterio
praesent, militare de caetero prohibemus, exceptis argenti distractoribus,
qui in hac alma urbe negotiantur. Hos enim utpote utiles omnibus con-
tractibus armata quidem militia penitus abstinere sancimus: aliam vero
quancunque sine metu praesentis sanctionis posse sibi acquirere. Si qui
vero negotiatores, quos omni militia prohibuimus, jam militarunt: eis
licentiam damus negotiationem quidem relinquere, militiam vero reti-

5. L. 11, D. de re militari. — 6. L. 21, D. de probat. — 7. L. 7, infr. h. t.; L. 4, supr. de
praepos. servi cubic.; L. 5, § 6, supr. de bon. libert.; N. 123, c. 17. — 8. L. 6, supr. h. t.;
L. 11, D. de re militari.
Tit. XXXV. — 1. L. 6, supr. de dignit.; L. 1, supr. de praepos. agent. in rebus: L. 12, in
fin. infr. de cohortatib. — 2. dd. L. l.
Tit. XXXVI. — 1. L. 49, D. 16. — 2. L. 5, infr.; collata L. pen. D. h. t. — 3. L. 9, supr.

nere: scientibus quod si postea negotiantes appareant, militia privaban-
tur. Quod et in argenti distractoribus hujus almae urbis, si armatam mil-
itiam jam sortiti sunt, tenere volumus: ut relicta negotiatione liceat eis
in eadem militia durare. Negotiantes etenim post hanc sanctionem, hu-
jusmodi militia privabuntur: illis, qui ad armorum extractionem suam
professionem contulerint, minime prohibendis ad competentem suae
professionis venire militiam, et hujusmodi negotiationem nihilominus reti-
nere.

TIT. XXXVI.

DE RE¹ MILITARI.

1. Imp. ANTONINUS A. Annae militi.

Stipendia et donativa temporis, quo apud hostes fuisse te dicis, restitui
tibi postliminio regresso restituitoque², non jure desideras.

2. Idem, A. militibus cohortis primae.

Viginti³ stipendia si implestis, sordida munera [militiae] vobis non
inducuntur.

3. Idem, A. Juliano.

[Milites] ignominia missi cum infamia⁴ notentur: nullis honoribus,
qui integre dignitatis hominibus deferri solent, uti possunt, habeant au-
tem morandi, ubi velint, potestatem, praeterquam in eis locis, in qui-
bus specialiter arguentur.

4. Imp. ALEXANDER A.

Defunctorum in desertione⁵ bona confiscari divus Marcus, et Antoni-
nus pater-meus constituit.

5. Imp. GORDIANUS A. Valentino, et aliis militibus.

Cum allegatis septem annos in desertione egisse maritum sororis ves-
trae, et indulgentia nostra esse restitutum: non recte desideratis, ut id
tempus, ac si in castris fuerit, habeatur. Proinde excepto eo tempore,
quod ad desertores pertinet, restitutus ex indulgentia nostra, residuo
militare debet: ideoque nec⁶ stipendia temporis, quo in desertione
fuerit, exigere poterit.

6. Idem, A.*

Semel causaria⁷ missis militibus, instauratio non solet concedi obtentu
recuperatae valetudinis melioris: quando non temere dimittantur, nisi
quos constet medicis denunciatis, et judice competente diligenter exami-
nante, vitium contraxisse.

7. Idem, A.

Frustra vereris, ne nota, quae propter delictum militare intercessit,
existimationem tuam jam veterani lassisse videatur: maxime cum nec ex
eo delicto, quod in paganorum potest cadere personam, notatos milites,
post missionem placuerit esse famosos.

8. Imp. PHILIP. A.

Causaria⁸ missus, nulla existimationis macula adspersitur.

9. Imp. CONSTANTINUS A. et Caesar.*

Si quis barbaris scelerata factione facultatem depredationis in Romanos
dederit, vel si quis alio modo factam diviserit, vivus comburatur. —
Dat. 4 kal. Maji Severo et Rufino Cons. 549.

10. Idem, A. Titiano P. P.

Quicumque militum ex nostra auctoritate familias suas ad⁹ se venire
meruerint, non amplius quam conjuges, liberos, servos etiam de peculo
caestrensi emptos, neque adscriptos censibus, ad eosdem excellentia tua
dirigi faciat. — Dat. 3 kal. Jun. LIMENIO et CATULINO Cons. 549.

11. Imp. GRAT., VALENT. et THEOD. AAA. Cynegio P. P.

Tribuni, vel milites nullam evagandi¹⁰ per possessiones habeant facul-
tatem: sed cum signis propriis in mansionibus solitis ac publicis man-
neant, ac si quis tam necessaria scita contempserit: de eo, ac tribuno
ejus ad nostram scientiam rectorum, ac defensorum relationibus protinus
referatur, quatenus severissime in eos animadvertatur. — Dat. 4 id.
april. CP., RICHOMERE et CLEARCHO Cons. 584.

quando provocare: L. 5, D. de munerib.; L. 2, supr. de excusat. veter.; L. ult. supr. de his
qui non implet. stipend. — 4. L. 1, L. 2, D. de his qui not. infam.; L. unic. supr. de infamib.;
L. 2, supr. de dignitat. — 5. L. 1, supr. si reus vel accusator mortuus. — 6. L. 10, § 1, D. h. t. —
7. L. 35, § 1, D. de testam. milit.; L. 8, infr. h. t. — 8. Adde L. 6, supr. eod.: L. 2, supr. de
his qui non implet. stipend.; L. 8, § 5, D. de excusat. — 9. L. 5, § 2, D. de offic. procous. —
10. L. 15, in fin. infr. h. t.

12. Idem, AAA. Richomeri comiti et magistro utriusque militiae.

Cum supra virentes fluminum ripas omnis legionum multitudo consti-
tuit: ideo provida auctoritate decernimus, ut nullus omnino immundo¹¹
fimo sordidatis fluentis commune poculum polluat: neve abluendo equo-
rum sudores deoperans publicos oculos nudatus incestet, sed procul a
cunctorum obtutibus in inferioribus partibus fluviorum hoc ipsum faciat.

13. Imp. ANCAD. et HONOR. AA. Romuliano P. U.

Nemo miles ex his, qui praesentes divino obsequio nostrae clementiae
deputati sunt, et qui in hac alma urbe praesente comitatu concessi sunt,
quive de aliis numeris, vel legionibus sunt, vel sibi vacet, vel aliena¹²
obsequia sine nutu principali peragere audeat: qui autem in hujusmodi
facinore fuerint convicti: militia exuti paeas consentaneas luere com-
pellantur: hi vero, qui in privato obsequio militem retinere fuerint re-
perti, quinque libris auri multa nomine feriuntur. — § 1. Si vero quis-
quam missus a numero, vel a tribuno ad comitatum serenitatis nostrae
pervenerit, (aliter enim eos hoc facere vetamus) illico se viris illustribus
comitibus sub quorum regimine constituti sunt, offerre festinet: et caus-
as protectionis exponat: ut et responsum caeleste mereatur, et citam
remendi accipiat facultatem. — § 2. Si¹³ quos autem milites per pro-
vincias relictis propriis numeris passim vagari praesides earum cognove-
rint, correctos faciant custodiri, donec de his clementiae nostrae auribus
intimetur, et quid fieri oporteat decernamus. — Dat. kal. febr. CP.,
HONORIO A. 4 et EUTYCHIANO Cons. 598.

14. Idem, AA. Stilichoni magistro militum.

Contra publicam utilitatem nolimus a numeris ad alios numeros mil-
lites nostros transferri. Sciant igitur comites, vel duces, quibus regenda
militiae cura commissa est, non solum a comitatensibus ac palatinis¹⁴ nu-
meris ad alios numeros milites transferri non licere: sed ne ipsis qui-
dem, [seu de comitatensibus legionibus, seu de castris riparensibus cas-
trensibus,] caeterisque, cuiquam eorum transferendi militem copiam
attributam: nisi hoc augusta majestatis publicae utilitatis gratia fieri
jusserit: quia honoris augmentum non ambitione, sed labore ad unum-
quemque convenit devenire: quod si quis contra fecerit, per singulos
milites singulas auri libras a se noverit exigendas. — Dat. 14 kal. april.
Mediolan., STILICHONE et AURELIANO Cons. 400.

15. Imp. LEO¹⁵ A. Aspari magistro militum.

Milites¹⁶, qui a republica armantur et aluntur, solis debent utilitati-
bus publicis occupari: nec agrorum cultui, et custodiae animalium, vel
mercimoniorum questui, sed propriae munis insudare militiae, nullum
praeterea ex militibus posthac praedictis obsequiis vacare magnitudo tua
patiatur: sed frequentes in numero suo esse jubeat: ut armorum quoti-
diano exercitio ad bella se praeparent. Quod si quis ex militaribus judi-
cibus ullos militum tam divinis quam regis, vel privatis domibus ac pos-
sessionibus, diversisque aliis obsequiis contra interdictum serenitatis
nostrae crederit deputandos: sciat se ab eo, qui contra vetitum fecerit,
et ab eo, qui ausus accipere militem fuerit, per singulos milites singulas
libras auri protinus exigendas. — Dat. prid. non. Jul. CP., LEONE A.
Cons. 458.

16. Idem, A. Dioscoro.

Militares viros civiles curas¹⁷ arripere prohibemus: aut si aliquam
nujusmodi sollicitudinem forte susceperint, et militia statim et privile-
giis omnibus denudari decernimus, formidantibus his motum nostrae se-
renitatis, qui temeritate saluberrimis statutis obviam ire tentaverint.

17. Imp. ZENO A.* magist. milit.

Neminem in ullo numero equitum vel peditum, vel in quolibet limite,
sine nostri numinis sacra probatoria in posterum sociari concedimus,
consuetudine quo haec tenent, antiquata, quae magisteriae potestati,
vel ducibus probatorias militum facere, vel militibus adjungere licentiam
tribuebat: ut hi tantum in numeris vel limitibus militent, qui a nostra
divinitate probatorias consequuntur. Viros autem eminentissimos pro
tempore magistris militum, necnon et viros spectabiles duces, si supplere
numeros pro his, qui fatalibus sortibus decrescent, necessarium esse pu-
taverint, veritate discussa, per suggestionem suam nostrae mansuetudini
declarare, qui, et quanti, et in quo numero vel limite debeant, surro-
gari: ut ita demum, prout nostrae sederit majestati, divina subnotatione
subnixi militum sortiantur: officio quod tuae sublimitatis actibus obse-
cundat, centum librarum auri dispendio feriendo, si ex aliqua parte, quae
statuit nostra serenitas, fuerint violata.

11. L. 1, § 1, D. de extraord. criminib. — 12. L. 15, L. 16, infr. h. t.; L. 53, supr. de
locato. — 13. L. 11, supr.; L. 4, in fin. D. h. t. — 14. L. 7, supr. de palatin. — 15. Conjunge
L. 31, supr. de locato. — 16. L. 15, in pr. supr. h. t.; L. 4, supr. de offic. magistri milit. —

18. Imp. ANASTASIUS A. Joanni magist. milit. praesentalium¹⁸.

Tam collatores et provinciales, quam fortissimos milites, prout oportet,
gubernari, minimeque laesionem aliquam seu dispendium perpeti,
properantes, esse necessarium prospeximus, dicatissimos milites, qui de
diversis praesentalibus numeris per Orientis partes noscuntur consistere,
virorum spectabilium ducum jussionibus obedire: ut quicquid emer-
sit quod pro communi securitate curandum est: hoc protinus, utpote mil-
itari praesidio in proximis locis constituto, competens possit mereri re-
medium: ita videlicet, ut etiam agentibus causas tam criminaliter quam
civiliter, praefati milites jam non apud magnificam magisteriam per Orientem
potestatem, vel ex sententiis seu praecipionibus ejus, sed per interlo-
cationes seu dispositiones tam excelsae tuae sedis, sub cujus jurisdic-
tione consistunt, quam eorundem ducum respondeant. — § 1. Eo scilicet
observando, ut ad responsum, quem de officio tuae sublimitatis huc us-
que ad praedictam magisteriam per Orientem potestatem moris erat des-
tinari, viris spectabilibus ducibus inhaerens mittatur, tam per se, quam
per adjuutores suos eosdem judices observare, et jussiones eorum implere
curaturus: licentia [ei] non deneganda, et ad responsum¹⁹, qui de officio
alterius viri excelsi magistrum militum praesentalium pro hac nostra
dispositione destinatur, in locis, in quibus apparitionis tuae sublimitatis
ad responsum [non] contigerit reperiri, suam sollicitudinem pro emer-
gentibus maxime causis peragere: cujus etiam illi qui de altero officio
mittendus est, praebemus facultatem, ut non tantum per adjuutores suos
ad responsum, sed etiam invicem se adjuvando, nec publicis, nec privatis
causis, vel executionibus abesse videantur: ad singulos etenim duces ad
responsum de apparitoribus nostris non perspeximus oportere destinari:
ne per multitudinem eorum qualibet machinatione damna contra milites
nostros augeri contingat. — § 2. Ut autem omnifariam tam publica com-
moditati, quam fortissimis prospiciatur militibus, sportularum nihilomi-
nus exactio merito censuimus moderandam: et jubemus nec ipsis
ad responsum, nec adjuutoribus eorum pro criminalibus, seu civilibus
causis, etiam si ex publicis causis descendere, vel ad publicam causam
pertinere dicantur, licere aliquid plus quam unum solidum a singulis, vel
nolentibus, vel spontanea voluntate offerentibus suscipere militibus: ita
ut si universitas numeri, seu principiorum monenda sit, duplicata quan-
titate tantummodo sportulas accipiant: in his etenim causis nec plures
quam duos primates quorum nomina semel, ac primum gestis interve-
nientibus fuerint publicata, patimur conveniri: syndico videlicet prout
consuetudo deposcit, legibusque cautum est ordinando. — § 3. Hoc quoque
adjecto, ut pro omnibus quibuslibet expensis faciendis ingressus in ju-
dicio duciano unum tantummodo solidum, nihilque amplius milites, vel
syndici litigantes dependere compellantur: ut hujusmodi solatium ad
commodum ad responsum, et ejus adjuutorum et exceptorum proficiat: nil-
hil sibi usurpare, vel suo nomine poscere, vel viris devotis principibus,
qui ducianum observant iudicium, vel ducianam apparitionem de praefatis
litibus concedendis: ita videlicet, ut super litis expensis, in perso-
nis etiam eorum quicumque milites pulsare maluerint, eadem forma ser-
vetur. — § 4. Erit autem arbitrii atque aestimationis virorum spectabi-
lium ducum, pro qualitate negotiorum, vel quantitate quae devotissimis
militibus ab adversariis eorum ingeritur, vel suam audientiam interpo-
nere litigiis, vel eorum discussionem dicatissimis principibus seu arbitris
in locis degentibus committere. — § 5. Quibus viris spectabilibus du-
cibus, et eos observantibus ad responsum, seu adjuutoribus eorum cura sit,
si quando ad eosdem duces milites accersiti fuerint, vel de locis, in qui-
bus constituti sunt, moveri praecipit, ne quolibet modo curiales, seu col-
latores²⁰ quibusdam afficiantur dispendiis: ita scilicet, ut pro militibus
inspiciendis quocumque voluerint viri spectabiles duces etiam praesentales
devotissimos milites adhibere: non immodicam multitudinem
eorum tempore pacis convocare procurent. — § 6. Sin vero etiam neces-
sitate poscente milites ad alia perveniant loca, laesionibus contra curiales,
seu collatores nihilominus modis omnibus abstineant: et si [tam] in
eundo [quam redeundo] triginta tantum dies oporteat eos proficisci, ipsi
sua expensas sibi praebendas [collatores], seu curialibus minime pra-
gravandis] suscipere non cessent: sin autem ulteriore tempore in aliis
locis necesse sit eos commorari, expensas eis ulterioris (ut dictum est)
temporis, ad quae pervenerint loca, ministrari. — § 7. Quoniam vero com-
perimus quosdam temerario animo atque iniquo proposito, anteriore tem-
pore certos de memoratis militibus tam in iudicio sublimitatis tuae, quam
apud excelsam magisteriam per Orientem potestatem in accusationem
deduxisse: et [eosdem] eodem tempore ad diversa quoque protraxisse judi-
cia: diversa quoque super iisdem personis, iisdemque causis, et negotiis pro-

17. d. L. 15, in pr. — 18. L. 21, § 1, D. de testib. — 19. N. 24, c. 4; N. 25, c. 1, in fin. Edf
8, c. 5, § 4. — 20. L. 3, infr. de erog. militaris annone.